
VICIPÆDIA

Lingua Vasconica

Lingua Vasconica, **Navarrorum** aut **Vasconum** (Vasconice appellatur *Euskara* sed, pendens e dialecto, *Euskera* vel *Uskara* vel *Üskara* vel *Eskuara* dici etiam potest), est sola lingua sui gregis quae superest ex quo Linguae Indoeuropaeae in Europa occidentali dicebantur. Cum vasconum antecessores iam linguam similem, antequam indoeuropaei huc pervenerunt, loquebantur, illa lingua in numero antiquissimarum Europae linguarum habetur. Loquuntur circa 600 000 incolarum Hispaniae, praecipue in Vasconia et Navarra, sed quoque in Francia. Est lingua agglutinans sicut Finnica, Hungarica, Turcica. Certe a lingua Aquitanica orta, sola putatur inter linguas mundi, nisi forsitan cum lingua Iberica antiqua cognata sit. Lingua Aquitanica iam in Hispania et Aquitania ante Romanorum adventum exstitit.

Lingua Vasconica Euskara	
IPA:	[eus̺ˈkaɾa]
Taxinomia:	sine familia
Locutores:	883 146 (2006)
Sigla:	1 eu, 2 baq / aus, 3 eus
Status publicus	
Officialis	Vasconia et Navarra
Privata	Hispania et Francogallia
Litterae:	
Scriptura:	Latina
Procuratio:	Regia Academia Linguae Vasconicae



Familiae linguisticae coloribus Vicipaedicis pictae

Vasconica lingua primum scripta est in glossis Aemilianensibus et in glossis Picaudi. In medio aevo quoque *lingua navarrorum* est appellata. Primo fuit impressa anno 1545, Burdigalae, et librum primum fuit *Linguae Vasconum Primitiae*.

Linguae Vasconicae sunt etiam permultae dialecti.

Index

Grammatica


Litterae atque phonetica Vasconicae linguae

Vasconica lingua hoc alphabetum habet:

A B D E F G H I J K L M N Ñ O P R S T U V X Z

a b d e f g h i j k l m n ñ o p r s t u v x z

/a/ /b/ /d/ /e/ /f/ /g/ Ø vel h /i/ /x vel dj/ /k/ /l/ /m/ /n/ /ɲ/ /o/ /r, ɾ/ /s̺/ /t/ /u/ /v/ /ʃ/ /s̻/



Variationes Vasconicae linguae:
Dialectus occidentalis seu Biscaina
Dialectus centralis seu Ipuscoana
Dialectus Navarra
Dialectus Lapurdiana
Dialectus Sulentina
Ubi Vasconicam linguam iam non loquuntur

Etiam habet hos digraphos:

dd, tt, tx, tz, ts, il, in

/ɟ/, /c/, /tʃ/, /ts̺/, /ts̻/, /ʎ/, /ɲ/

Dum littera v adest in abecedario Vasconico, solum scripta est in verbis peregrinis, quia non littera propria est. Tantummodo sonus pro [v] non est sonus Vasconicus, et similiter ad verba peregrina pertinet. In verbis peregrinis nominibusque etiam litterae c, q, w, y utuntur.

Declinatio

Lingua Vasconica declinatur, et casus hi sunt:

Absolutivus

Absolutivus (nor)

radix	indeterminatus sive innumeratus	singularis	pluralis	pluralis affinitatis
mutil (puer)	*mutil* + Ø = *mutil*	*mutil* + *-a* = *mutila*	*mutil* + *-ak* = *mutilak*	*mutil* + *-ok* = *mutilok*

Ergativus

Ergativus (nork)


radix	indeterminatus	singularis	pluralis
mendi (mons)	*mendi* + k = *mendik*	*mendi* + *-a* (det.) + *-k* (erg.) = *mendiak*	*mendi* + *-ek* (pluralis) = *mendiek*

Dativus

Dativus (nori)

radix	indeterminatus	singularis	pluralis
ume (puer)	*ume* + (-*r*)*i* = *umeri*	*ume* + -*a* (det.) + (*r*)*i* = *umeari*	*ume* + -*ei* = *umeei*

Declinationes locativae



Declinatio atque coniugatio Vasconica expleta

Casus locativi

	declinatio	non animantia	animantes
inessivus *ubi?* (non/norengan)	-n -(r)engan	etxean *in villa*	amarengan *apud matrem*
separativus (nongo)	-ko, -go	etxeko *e villa* Madrilgo *Matriti*	–
ablativus (nondik/norengandik)	-tik -(r)engandik	etxetik *a villa*	amarengandik *a matre*
adlativus simplex (nora/norengana)	-ra -(r)engana	etxera *ad villam*	amarengana *ad matrem*
adlativus comptus (norako/norenganako)	-rako -(r)enganako	etxerako bidea *via (quae fert) ad villam*	amarenganako maitasuna *amor matris (i. e. "ad matrem")*
terminativus (noraino/norenganaino)	-raino -(r)enganaino	etxeraino *usque ad villam*	amarenganaino *usque ad matrem*
directivus (norantz/norenganantz)	-rantz -(r)enganantz	etxerantz *ad villam versus*	amarenganantz *ad matrem versus*

Casus alii

Aliae declinationes

	declinatio	indeterminatus	singularis	pluralis
genetivus possessivus *cuius?* (noren/zeren)	-en	behiren *vaccae*	behiaren	behien
instrumentalis *quo instrumento?* (zerez)	-z	harriz *lapide*	harriaz	harriez
comitativus vel sociativus *quocum?* (norekin/zerekin)	-kin	behirekin *(una) cum vacca*	behiarekin	behiekin
motivativus *qua de causa?* (norengatik/zergatik)	-(en)gatik	behi(ren)gatik *vaccae causa*	behia(ren)gatik	behiengatik
benefactivus *cui?* (norentzat/zerentzat)	-entzat	behirentzat *vaccae*	behiarentzat	behientzat
prolativus *pro quo esse, quem putare?* (nortzat)	-tzat	semetzat (hartu) *pro filio accipere/filium putare*	—	—
partitivus (partitiboa)	-rik	behirik *vaccarum*	—	—

Modi dicendi[1]

Salve. – Kaixo. ['kajʃɔ]

Bonum mane. – Egun on. [ɛ'gunɔn]

Bonum vesperum. – Arratsalde on. [a'ratʃaldɛˌɔn]

Vale. – Agur. [a'gur]

Cura ut valeas. – Ondo ibili. [ɔndɔ i'bilʲi]

Quomodo vales? – Zer moduz? ['sɛr mɔ'dus]

Bene, gratias ago. – Ongi, eskerrik asko. [ɔŋgi ɛ's̺kɛrik as̺'kɔ]

Veniam da. – Barkatu. [bar'katu]

Quaeso. – Mesedez. [mɛ's̺ɛdɛs]

Gratias tibi ago. – Eskerrik asko. [ɛs̺'kɛrik as̺'kɔ]

Accipe sis. – Ez horregatik. [ɛsɔ'rɛgatik]

Loquerisne Anglice? – Ingelesez ba al dakizu? [iŋ'gɛlɛs̺ɛs ba aldaki'su]

Paulum Vasconice scio. – Euskara apur bat badakit. ['ɛʊs̺kara a'purbat ba'dakit]

Non intellego. – Ez dut ulertzen. [ɛs'tut u'lɛrtsɛn]

Quomodo Vasconice didicisti? – Nola esaten da hori euskaraz? ['nɔla ɛ'ʂatɛnda 'ɔri ɛʊʂ'kaɾas]

Textus exempli gratia

Commentatione prima Universae Iurum Humanorum Declaratio (a Consociatione Nationum):

Vasconice

Gizon-emakume guztiak aske jaiotzen dira, duintasun eta eskubide berberak dituztela; eta ezaguera eta kontzientzia dutenez gero, elkarren artean senide legez jokatu beharra dute.[2]

Latine

Omnes homines dignitate et iure liberi et pares nascuntur, rationis et conscientiae participes sunt, quibus inter se concordiae studio est agendum.[3]

Nexus interni

- Dialecti Vasconicae
- Vascones
- Versolarismus
- Linguae Dene-Caucasicae

Nexus externi

- Modi dicendi Vasconici (http://www.bbc.co.uk/languages/other/quickfix/basque.shtml) apud *BBC*

Notae

1. *Lonely Planet Phrasebooks - Spanish*, editio tertia, Martius 2008. Hic liber modorum dicendorum Hispanicorum, praeter linguam Hispanicam, etiam modos dicendos aliarum linguarum trium habet, enim lingua Vasconica, Catalana, et Gallaica.
2. Declarationem Hominis Iurium Universam (http://www.ohchr.org/EN/UDHR/Pages/Language.aspx?LangID=bsq) in lingua Vasconica apud *United Nations Human Rights*
3. Declarationem Hominis Iurium Universam (http://www.ohchr.org/EN/UDHR/Pages/Language.aspx?LangID=ltn) in lingua Latina apud *United Nations Human Rights*